

Ex Aquileia quoque per id tempus migratum a nonnullis aiunt ad Gradatas aquas : Sed sub Athilæ reditum tum frequentissime ex agro totisque litoribus in propinquas insulas itum : atque ita euenisse : ut Aquileienses Gradum non procul a continenti locum aquis munitum occuparint . Ex concordia profugi Caprulas : Altinates sex propinquas inter se insulas : quas a portarum amissæ urbis nominibus Torcellum : Maiorbium : Burianum : Murianum : Constantiacum : & Amianum nuncupauere : Hæc fere sunt quæ illi longiore sermone de origine urbis tradidere : Quibus uideo cum cæteris qui de hac re commentarios scripsere in omnibus ferme conuenire : nisi quod bis Hunnum Italiam ingressum suspicari uisi sunt : Ego erroris illius eam puto fuisse causam : quod legerant quandoque Hunnicis temporibus bis ex continenti in insulas migratum quod sine hostium interuentu apparebat uix fieri potuisse : Sed quid nos de ea re sentiamus non multo post declarabitur : nam hinc fere oritur illa de urbis origine uariatio : ut alii alio tempore eam conditam scribant . Sunt quidem non pauci qui anno salutis .CCCCXXI. iacta prima urbis fundamenta dicant : Quo tempore Hunnici belli fama coeptum sit in Italia trepidari : Nam per id tempus aut certe non multo ante Hunnus Danubio superato Marcinum Pannoniæ & Macedoniæ præfectum ingenti prælio uicit : Quo successu elatus : ad occidentis Imperium euertendum animum adiecit : Reclamant alii in hanc opinionem tanquam ineptam : audentque affirmare sub ipsum Aquileiæ ac reliquæ Venetiæ excidium urbem ipsam primo fundari coepisse : quod aliquot inde interiectis annis accidisse manifeste constet : Sed nihil prohibet nos credere ad primos huius belli motus nobilissimum ac ditissimum quendam cum non parua necessariorum manu fugam præoccupasse : atque his auctoribus coeptum esse ædificari in his locis quæ primo tenuissent : Inde procedente tempore ubi hostis Italiam inuasisset : tum frequentius undique in has insulas concursum coeptumque urgente necessitate passim loca inhabitari : atque ita factum ut diuersa credatur urbis Venetiæ origo : Nos uero ne quid confuse dicere uideamur : eorum sententiæ libenter accedimus : qui ante Aquileiæ euerfionem Venetias conditas aiunt : quod ipsum qua ratione sit factum ordine explicabo . Venetiarum urbis origo quantum eorum lectione qui de re ipsa diligentius scripsere consuequi potuimus : in hunc ferme modum se habet : Quum iam Hunnici belli terror Italiæ populos inuasisset : essetque omne Venetum nomen ut periculo propius ita ob id uehementer sollicitum ( uulgo enim ferebatur Hunnos in Italiam moturos ) eorum feritas : quæ plus quam Barbara in christiani nominis uiros esse tradebatur effecit ut ex priscis Venetis qui circa Adriaticum sinum amœnissima loca incolebant : alii alias propinquas maris insulas fuga occuparint : Fueruntque uiri illustres : ac mira præditi religione : a quibus fuga orta dicitur : De reliquis locis omnino non habeo quid affirmem : Ex duabus clarissimis Venetiæ urbibus Aquileia Patauioque tum primum migratum manifeste constat : ut Aquileiensem quidam eo tum multo Gradum cum liberis & preciosa suppellectile confugerint : Ex Patauiio quoque non pauci : atque iidem clari se se in Riuumaltum receperint : Fuerunt olim ea loca ubi nunc urbs ipsa residet insulæ quædam angustiores parum inter se distantes : quas placidissimi amnium meatus sinuoso ambitu in mare decurrentium pelagi æstu alternante discriminabant : Incole-

Varia de  
conditio-  
ne Urbis  
opinio

Primiurbis  
conditores